



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm I. Qvo Cassinensis Monasterii Abbas Oderisius
consecratur, eiusdemque monachi a querela episcoporum absoluuntur,
anno Domini MCXXII. tempore Callisti papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI
1120. tineantia, de communi sanxerunt arbitrio. Quae si quis legendi studio vi-
dere querit, in multarum archiuis ecclesiarum ea facile reperire potest. Qui Con-
cilio inter-
fuerunt?
Interfuerunt autem huic Concilio dominus Guaremundus Hierosoly-
morum patriarcha, dominus Balduinus Hierosolymorum ex Latinis
rex secundus, Ebremarus Cesaricensis archiepiscopus, Bernardus Na-
zarenus episcopus, Rogerius Lindensis episcopus, Asquillus Bethle-
hemitanus episcopus, Gildonus electus abbas sancte Marie de valle
Iosaphat, Petrus abbas de monte Thabor, Achardus prior montis Sion,
Gerardus prior sepulcri domini, Paganus regis cancellarius, Eustachius
Graniers, Vilelmus de Buris, Barisanus Ioppe constabularius, Bal-
duinus de Rames, & alii multi utriusque ordinis, quorum numerum
vel nomina non tenemus. Hanc Synodum, ait Baronius anno 1120.
prope finem, tanta morum correctio consecuta est, ut per Dei misericor-
diam anno sequente 1121. Turcarum princeps aduersus Antiochiam cum
magnis copiis rediens, apoplexia extinctus sit.

ANNO CHRISTI
1121. CONCILIVM ROMANVM I.

QVO CASSINENSIS MONASTERII ABBAS
Oderisius consecratur, eiusdemque monachi a querela
episcoporum absoluuntur, anno Domini MCXXII. tem-
pore Callisti papæ II.

NOTA.

* *Concilium.*] Res in hac Synodo gestas Romæ chronicon Cassi- Acta Con-
ciliique.
nate commemorat lib. 4. cap. 8o. his verbis: *Mense itaque Martio,*
preparatis que erant necessaria itineri, Romam, ut sibi a pontifice iniun-
cetum fuerat, consecrandus aduenit. Ibi ab eodem papa, qui tunc forte Con-
cilium celebrabat, honorifice consecratus, a cardinalibus Romanisque que-
nobilibus in magna est gloria habitus. In hac Synodo episcopi aduersus mo-
nachos inuidia inflammati coperunt dicere, nil superesse aliud, nisi ut
sublati virgis & annulis monachis deferrirent. Illos enim ecclesiastis, vil-
las, castra, decimationes, viuorum & mortuorum oblationes detinere.
Conuersaque ad pontificem, Decidit, aiebant, pudor, canonicorum hone-
stas oblitterata est, clericorum religio corruit, dum monachi contempto ce-
lesti desiderio iura episcoporum insatiabiliter ambiant, & omnes que sua
sunt querunt: & qui mundum cum suis concupiscentiis reliquerant, his
que mundi sunt inhiare non desinunt: & quibus per beatum Benedictum
ultra quiescendi locus offertur, ad episcoporum iura rapienda die noctu-
que occupantur. Et cum varia ingenis hincinde essent prolate sententiae,
tandem ex iussione abbatis unus ex nostris surgens in medium, dixit:
Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua. Sed tu Deus
noster contere virtutem illorum, ut cognoscant quia non est alius qui pugnet
pro nobis, nisi tu Deus noster. Nam quid acturi sint fratres Cassini de-
gentes, qui die noctuque omnipotentis Dei clementiam pro totius mundi
salute implorare & exorare non desinunt, si concessiones Romanorum
Concil. Tom. 27.

G

50 CALLISTVS C. ROMANVM II. HENRICVS V.
P. II. IMP.

pontificum violantur? Neque enim ita Casinenses abbates de apostolica
fede meruerunt, ut que sancto Benedicto imperatores, reges, principes,
duces, Romanique pontifices obtulerunt, nos apostolatus vestri tempore
mereamur amittere. Cum bac & alia multa proferret, quidam Liguria
episcopus dixit: Licet episcoporum religiositas conquesta contra monachos
fuerit, non tamen sine causa predecessores nostri monasteria ditauerunt.
Ad principio namque surgenitis ecclesie, duos ordines capissè notissimum
est: unum qui laboret in verbo & doctrina, alterum qui vacaret oratio-
ni: unum qui actiue, alterum qui contemplatiue vite deserviret. Vnde
non immerito nos potius diligere monachos, quam insequiri conuenit. Ad
hac pontifex imperato silentio dixit: Casinensis ecclesia non ab hominibus
neque per hominem, sed per Iesum Christum fundata est: cuius imperio
Benedictus pater locum prius idolis deditum purgans, sancta descriptione
regula, miraculorumque prodigiis, & sua corporali requie, orbis spectabil-
lem reddidit, totiusque monastici ordinis caput esse constituit. Accedit
quod idem venerabilis locus a Romanis pontificibus instauratus, Roma-
næ ecclesia filiorum & in aduersis solatium, & in prosperis tuta requies
perstat. Et nos igitur sanctorum predecessorum nostrorum vestigia secuti,
Casinense cenobium ab omni mortalium ingo quietum semper ac libe-
rum manere, & sub solius sancta Romanae ecclesia defensione perpetuo
manere decernimus. Cetera vero monasteria, in quo ordine antiquitus
constructa sunt, manere iubemus. In eo etiam Concilio memoratus ponti-
fex, Girardi abbatis animam, & omnia nostri cenobii iura episcopis &
archiepiscopis commendari curauit: abbas vero peractis Roma negotiis
suis, ad monasterium rediit, & ab omnibus fratribus solenni est & ho-
norifica processione suscepitus.

CONCILIVM ROMANVM II.
QVO OB RESTITVTAM IN COMITIIS
Vvormatiensibus inuestituram ecclesiasticam pax in-
ter pontificem & imperatorem inita confirmatur, an-
no Domini MCXXIII. tempore Callisti papæ II.

N O T A.

Acta Con-
cili.

* *Concilium.*] De hac Synodo Robertus de Monte continuator Si-
geberti ista scribit: Anno 1123. Concilium Roma celebratur, pax inter
regnū & sacerdotium reformatur, & ius inuestiturarum episcopalium
ab imperatore exfestucatur. Hoc est illud Concilium, cuius meminit
Callistus in epistola gratulatoria ad Henricum imperatorem his ver-
bis: Legatos itaque nostros, qui apud vos sunt, benesolentie vestra atten-
tius commendantes, rogamus ut, quia Concilium a nobis inductum acce-
lerat, cito eos ad nos Domino largiente remittas. Tuos vero legatos ita
instructos dirigas, ut iuxta promissum tuum regalia in integrum Roma-
næ ecclesie restituant.